

**Dissertatio physica de primis fluidorum phaenomenis ... / svb praesidio  
Georgii Erhardi Hambergeri ... d.XII. april. CIO ICCCXXIII.**

**Contributors**

Wasser, Johann Tobias, 1703-  
Hamberger, Georg Erhard, 1697-1755  
Universität Jena

**Publication/Creation**

Ienae : Litteris Ritterianis, [1723]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/tnq6j73g>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO PHYSICA  
DE  
**PRIMIS FLVIDORVM**  
**PHAENOMENIS**

QVAM  
**RECTORE MAGNIFICENTISSIMO**  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

**WILHELMO HENRICO**

DUCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE WESTPHALIAE ET RELIQUA

CONSENSV AMPLISSIMAE FACVLTATIS PHILOSOPHICAE  
SVB PRÆSIDIO

**GEORGII ERHARDI HAMBERGERI**

PHILOS. ET MED. D.

D. XII. APRIL. 1723.

DEFENDET

**IOHANNES TOBIAS VVASSER**

OETTINGA-SVEVVS.

MED. STVD.

---

IENAE LITTERIS RITTERIANIS.

DISSERTATIO PHYSICA

PRIMI ET ULTIMI  
PHENOMENIS

GEORGII MAGNIFICENTISSIMO  
SERVATORE PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINO

WILHELMO HANKE

DUCE ELEGANTE TUMIDI-CRUCIFICE MONITORE ANGLO-

RUM, MISTRALE ET PECIOAE

CONVENTUS VULGOVITRIBVS RECETATIS HINCQVAD

DISCERNITUR

GEORGI HANKEI HAMBURGI

AD DVM TIAZINUM

ET CIVICIS SITIS, LIT. A.


DISCERNITUR

JOANNES TOBIAS VAVASER

OBITUARIA-SYLLABUS

DISCERNITUR

DISCERNITUR



§. 1.

**C**um ex conatu sub certis circumstantiis sequatur motus, ipse conatus principium siue indivisibile saltim motus erit: nunquam igitur conatus vocabulum ita intellectum volumus, ut motum simul inuoluat; istam enim entis actionem, quae mediante motu sese exerit, actionem καὶ εξοχὴν adpellabimus; interdum vero, vbi nihil refert siue motum fieri aut factum esse sciamus, siue minus, actionis vocabulum idem cum conatu significare poterit.

§. 2. Cum omnia corpora, quorum nobis consciis sumus, moueantur, motus vero non fiat, nisi in tempore, & tempus successionem, adeoque & durationem, inuoluat, sequitur, ut omnia corpora habeant aliquid, quod durare & sic per se subsistere potest, id est, vim, ob quam in se inuicem agunt & reagunt.

§. 3. Haec vis, nisi ratio determinans ab extra accedat, versus omnes plagas aequaliter debet esse directa, nec alia actionis determinatae ratio dari potest, quam, quod omnis vis agat versus eum locum, vbi minor est resistentia. Sit enim ens simplex, aut particula minima quaeunque, vel a plane nullis aliis entibus, vel tantum ab aequalibus inter se, vbiuis cincta, sanc, cum nihil fiat sine ratione

Corpora  
habent  
vim.

Actio entis  
ab extra  
determi-  
natur.

sufficiente, nulla ratio motus, adeoque nec ipse motus, ne fangi quidem, multo minus dari poterit: in priori enim casu, cum (per hypothes.) nihil sit extra ens, neque in ente neque in non ente ratio esse potest, quare ens versus hoc magis, quam istud nihilum, dirigatur: in posteriore vero casu ex eodem principio rationis sufficientis, a B. Weigilio, Leibnizio & Cel. Wolffio dudum demonstrato, patet, quod idem ens simplex, quod vbiuis aequaliter premitur, resistere etiam vbiuis aequaliter debeat: ex aequali vero actione & reactione sequitur quies, ex inaequali igitur resistentia, ab extra accedente, motus.

*Entia aequaliter in se & extra se agunt.*

§. 4. Nullum igitur ens cum sine vi (§. 2.) nulla vis sine actione (§. 1. & 2.) & nulla quies entis sine aequali actione & reactione (§. 3.) concipi queat, sequitur, vt quodlibet ens simplex, in se tanquam quiescens & solitarium spectatum, ita debeat concipi, vt eius conatus ab omnibus partibus aequaliter in se, & contra, versus omnes plagas aequaliter, extra se, sit directus, itemque, vt eadem actio & reactio maior sit in ente, quod maiore, & minor in ente, quod minore gaudet vi.

*Cohaerent duo entia quando se contin-gunt.*

§. 5. Accedat iam ad tale ens simplex aliud eiusdem conditionis, (§. 4.) & contingent sese, vt punctum contactus adsit, necesse est. Hoc punctum contactus, cum ad utrumque ens pertineat, versus duo entia opposita simul agere debet, (§. 4.) ea vi, qua quodlibet ens ante contactum in se ex hoc punto agebat. Actione igitur versus unum, reagit actioni versus alterum, unde in aequilibrio quodam erit, (§. 3.) id est, versus neutrum agere potest, vt antea, adeoque hisce entibus minor ex hoc punto quam ante contactum sit resistentia, ergo iunctim versus hoc punctum agere debent, (§. 3.) unde nouum, &

a prio-

a prioribus diuersum, centrum actionum entium communne oritur, ipsa vero entia in puncto contactus cohaerent.

§. 6. Idem fieri debere si duo, tria, quatuor, immo infinita entia concurrunt, sana ratio dictitat; idem igitur de compositis valet, quod de simplicibus dictum est, nempe, quocunque vnum compositum debet habere suum centrum, versus quod omnes eius partes, si in quiete sunt constitutae, aequaliter tendunt, & tantundem semper resistunt, quantum premuntur (§. 2.) Ex hoc igitur principio deriuanda erit cohaesio, grauitas & vis centripeta corporum, adeoque, cum omnia cohaereant, tot erunt centra cohaesionis vel grauitatis, quot entia simplicia.

§. 7. Maxime igitur errant, qui haec tria a diuersis principiis oriri volunt (ne dicam quod omnes, qui haecce simplicissima phaenomena aliunde deriuare conantur, petitionem committant principii) ratione enim causae & effectus coincidunt, nec, nisi modo loquendi, differunt, cohaesionis enim vocabulo vtuntur de corporibus minoribus, grauitatis vero de corporibus, quae cum terra cohaerent, & vis centripetae de iis, quae vnum cum nostro systemate constituunt, id est, cum eodem cohaerent.

§. 8. Cum natura mundi non nisi entia diuersae in dolis, adeoque diuersas vires (§. 2.) requirat, sequitur, ut etiam effectus harum virium, actiones nempe earundemque indiuisibilia conatus (§. 1.) dicta, differant inter se, respectu nempe celeritatis, qua, sub iisdem extra se circumstantiis, data occasione mouerentur, & inde ex parte pendentis impetus.

§. 9. Factum enim quod oritur, quando massa & celeritas in se inuicem multiplicantur, dat quantitatem motus siue impetum, vnde, quo maior massa vel celeritas

Cohaerens  
plura entia  
simplicia,

Quid co-  
haesio gra-  
uitas & vis  
centripeta?

Vires o-  
mnes & co-  
natus diffe-  
runt in  
mundo.

entis, eo maior quoque est impetus eiusdem. Paulo accuratus igitur indagare debemus, an vis maior agat in minor, an contra minor in maiorem, an ambae in se inuicem?

**Simplicia  
aequalia  
aequaliter  
in se inui-  
cem agunt.**

§. 10. Contingant igitur sese duo entia simplicia aequalia quoad vires, vt contactus punctum versus centrum, cui liber enti proprium, agat, necesse est; (§. 5.) cum iam, vi hypotheseos, vnumquodque ex hisce simplicibus, eadem vi, qua alterum versus proprium centrum agat (§. 4.) aequalis erit actio & reactio huius puncti versus dicta centra (§. 5.) i. e. punctum contractus versus neutrum ex hisce centris aget: Nulla igitur hisce entibus, post contactum, ex hoc punto fiet resistentia, quae tamen ante contactum fiebat; (§. 4.) vnde ambo, viribus tam inter se, (vi hypoth.) quam actioni, quae ex hoc punto ante contactum versus centrum cuiuslibet fiebat, aequalibus, versus hoc punctum agent; (§. 3. §. 5.) adeoque ipsum punctum contactus erit centrum actionis communis horum entium, (§. 5.) quod imposterum centrum grauitatis cum mechanicis adpellabo.

**Actio en-  
tium virtu-  
te inaequa-  
lia in se  
inuicem,  
aequalis est  
actioni de-  
biliaris in  
fortius.**

§. 11. Sint iam duo entia inaequalibus viribus praedita, punctum contactus commune duo rursus ut illum in se agnoscat centra suae actionis, necesse est; (§. 5.) cum vero inuicem, istud ens, quod maiore vi gaudet, magis etiam agat versus suum centrum, quam istud, quod minore vi praeditum est, (§. 4.) sequitur, vt magis hujus puncti conatus directus sit versus centrum virtute maioris, quam minoris (§. 5.) pars igitur actionis, qua hoc punctum agit versus centrum virtute maioris, aequalis erit integrae huius puncti actioni versus centrum entis debiliaris, adeoque actio versus debilius aequalem reactionem habebit (§. 3.) i. e. plane sub-

sublata erit, altera vero actionis entis fortioris pars, aequalis differentiae virium, versus huius centrum adhuc durat. Debilius ergo omni sua vi, qua in hoc punto gaudebat, ager versus huncce locum, ubi nulla est resistentia: (§. 10.3.) cumque tantundem actionis, huius puncti contactus, versus centrum fortioris, eodem aequilibrio, sublatum sit, hoc forte, eadem quoque vi, versus idem punctum ager; (§. 5.10.) adeoque haec duo entia cohaerebunt in punto contactus, ea vi, qua minus ex hoc punto agebat, ante contactum, versus suum centrum (§. 10.): centrum vero grauitatis non est in isto punto contactus, sed intra ens fortius, quia alias totum ens debilius tantum reagere deberet, quantum totum fortius agit (§. 10.) Q. E. A.

§. 12. Quae de simplicibus dicta sunt, (§. 10.11.) etiam de compositis valent, quia haec ex illis componuntur, adeoque aequae ac simplicia gaudent vi & punto contactus: specialia vero, quae praecipue circa fluida occur- runt, infra exponemus: Interim notasse iuuabit, quod, cum entia simplicia ac corpora in se inuicem agant, punto contactus (§. 5.6.) dato, & vis unita fortior sit separata, sequatur, vt, in quo pluribus punctis corpus unum alterum contingit, eo fortior caeteris paribus sit cohaesio.

§. 13. Cum ex simplicibus mediante contactu fi- ant composita (§. 10.11.) & ex compositis minoribus eo- dem modo composita maiora (§. 12.), vt hic modus unionis sub imaginationem quoque cadat, in sequentibus spe- cialioribus corpora composita determinatae figurae, tan- quam partes corporum constituentes, assumere licebit.

§. 14. Fingamus iam plures particulas sese con- tingentes homogeneas, id est, eiusdem fere potentiae ac figurae, sphaericae nempe vel sphaeroidicae, vt in

Modus co-  
haesionis  
composito-  
rum non  
differt a di-  
cto; vis ve-  
ro a nume-  
ro puncto-  
rum con-  
tactus de-  
termina-  
tur.

Quare in  
sequenti-  
bus corpo-  
scula assu-  
mantur?

Genesis  
corporis  
fluidi,


in paucissimis punctis sese contingent, & plura spatia, a particulis huius generis vacua, relinquant, necesse est; (ob ipsam figuram sphaericam) ergo laxius cohaerebunt, (§. 12.) adeoque, cum diuisibilitati corporum, quo usque sunt corpora, nulli limites cum sufficiente ratione poni possint, & in his spatiis nulla sit resistentia, ab aliis occupari debent corporibus (§. 3.) quae laxius, quam nostrae particulae, cohaerent: Hac irruptione particulas nostras simul mouebunt, si maior est illorum impetus, quam vis, qua nostrae cohaerent, vnde hae in perpetuo debent esse motu, & tota eorum congeries corpus dicitur fluidum.

Specifice  
grauiora  
maiore vi  
gaudent,  
quam spe-  
cifice le-  
viora.

§. 15. Extremae talis corporis fluidi particulae cinguntur vel a corpore fluido alio, vel a corpore solido, vel ab utroque simul, & haec corpora cingentia sunt vel specifice leuiora vel grauiora dicto fluido, vel unum tantum est specifice leuius, alterum specifice grauius. Specifice leuius vero dicuntur corpus, quod, sub aequali mole cum alio quodam corpore, minore gaudet grauitate: Specifice grauius contra audit, quod eiusdem cum alio quodam corpore est magnitudinis, idem vero pondere excedit: cum igitur grauitas a vi corporis dependeat, (§. 6.) sequitur, ut corpora, quae maiore praedita sunt vi, maiorem quoque habeant grauitatem specificam, & contra.

Corpus  
fluidum  
in alio flu-  
ido specifi-  
ce leuiore  
sphaericam  
figuram  
assumit.

§. 16. Si corpus fluidum ubiis cingitur a fluido specifice leuiore, fluidum cingens, tanquam specifice leuius, minore gaudebit vi (§. 15.) cinctum vero maiore: ergo, cum particulae extimae corporis fluidi cincti ab extra debilius, ab intra vero sibi aequale corpus contingent, cohaerebunt cum specifice leuiore, ea vi, qua hoc versus istas agit (§. 11. 12.) cum homogeneis vero propria vi (§. 10.), id est minus cum fluido cingente, quam particulis





lis homogeneis. Ob id ipsum igitur, quod inter se sunt homogeneae, & parum cohaerent, (§. 14.) plures quando agunt in pauciores, istae has de loco mouebunt; sic nulla erit quies, nisi ab omnibus partibus aequales numero in se inuicem agant, vnde in corpus sphaericum, id est, in unam guttulam sphaericam abire debent. Hinc ex parte est, quod pluuiia in aëre, oleum caryophillorum, & mercurius in aqua sub guttularum forma descendant.

§. 17. Par est ratio, si fluidum cingens est specifice grauius, tametsi enim cincti partes extimae agant versus fluidum ambiens, omni qua gaudent vi (§. 11. 15.), quia tamen fluidum ambiens, partim ob firmiorem partium eiusdem cohaesionem, partim vero ob contactum partium fluidi cincti immediatum, vi cuius, tantum in se, quantum in particulas fluidi ambientis, agere debent (§. 10. 12.) penetrare subito nequeunt, tota fluidi cincti moles, ob hanc ipsam resistentiam, vnitate subsistere, & cum eius partes sint homogeneae (per hypoth.) & parum cohaereant (§. 14.) iisdem praesentibus causis, eodem quoque modo ac (§. 16.) dictum est, in unam guttulam sphaericam abire debent. Aer igitur, itemque olea leuiora, in aqua, sub guttularum siue vesicarum forma sese sistent.

§. 18. Duae guttulae, fluidi cuiuscunque homogenei, in unam abire debent. Sint enim duae guttulae A & B, & contingant sese in E, nullum punctum contactus aget versus suum centrum c. vel c. (§. 10. 12.) ambae igitur guttulae versus haecce puncta in E ut agant necesse est (§. 3.): cum enim antea puncta sese iam contingantia in E, agerent versus suarum guttularum centra c. & c., (§. 6.) & sic actionem particularum e regione in F. & f. constitutarum, quae itidem versus sua centra c. & c. agunt, impedirent, hoc vero contactu reactio ex punctis E. sub-

Fluidum  
specifice le-  
nius in alio  
graviori a-  
bit in gut-  
tulam  
sphaeri-  
cam.

Guttulae  
homoge-  
neae sese  
vniunt.

Fig. I.

lata sit (§. 10.), sequitur, ut particulae F. & f ea vi agant versus sua centra c. & c, & sic in linea recta versus punctum contactus E, qua particulae sese contingentes in E, ante contactum versus centra c. & c. reagebant. Hac actione guttulae exigui ponderis versus se inuicem mouentur, & cum non solum earum partes parum cohaereant (§. 14.), sed & pauciores in punctis M. & N. resistant, quam ex punctis F. & f. agunt; istae in M. & N, harum actioni, extrorsum cedere debent, vnde sese guttulae in pluribus partibus H. & h. de nouo contingunt, quo contactu priorum particularum F. & f. actio, aliarum L. & I. versus H, itemque K. & k. versus h. actione, de nouo augetur, eo vsque, donec ab omnibus partibus aequalis rursus fiat reactio, hoc vero in fluido, quippe cuius partes parum inter se cohaerent (§. 14.), obtineri nequit, nisi vbiuis partes numero aequales versus commune quoddam punctum agant, ergo eosque debent coire, donec sphæram siue guttulam vnam denuo constituant. Hinc est, quod guttula mercurii cum mercurio vniatur.

Guttula  
specifice  
leuior cir-  
cumdat  
specifice  
grauiorem.

Fig. 1.

§. 19. Sit A. guttula mercurii, & B. guttula aquae; cum experientia testetur, grauitatem specificam aquae esse ad grauitatem specificam mercurii, vt 1. ad 14, sequitur, ut cohaesio particularum aquae inter se, sit ad cohaesionem particularum mercurii & tendentiam earundem versus suum centrum, in eadem ratione, nempe vt 1. ad 14. (§. 15.). Punctum igitur contactus magis aget versus centrum guttulae mercurii c, quam versus centrum guttulae aquae c. (§. 11. 12.), guttula ergo aquae B. ea vi aggredietur guttulam mercuriale A, qua puncta contactus versus c. agebant, (§. 18. 11.) & sic eadem quidem vi cohaerebit cum mercuriali A. (§. 11.) eandem tamen

tamen circumdabit tantum, quia vis particularum aquae  
quatuordecim vicibus inferior vi particularum mercurialiū,  
harum cohaesionem soluere nequit. Cum vero hac guttulae  
aquaes adhaesione mercurii guttula A in latere H. E. h,  
magis, quam ante contactum, prematur, centrum suum gra-  
uitatis in priori puncto c. habere vltius nequit (§. 10.56.)  
sed magis vt versus locum contactus v. g. in x. transeat  
necessē est (§. 11.) ex quo simul patet, quod guttula mer-  
curialis adplanari ex parte debeat in loco contactus, ita  
quidem, vt superficies h. E. H, sit minus conuexa superfi-  
cie H. A. h. Singula haecce experientia probat.

Fig. 3.

§. 20. Nullae igitur guttulae abeunt in vnam, adeo-  
que nulla fluida cito miscentur; nisi, quae parum grauita-  
te specifica inter se differunt. (§. 19.18.) Quaecunque  
vero fluida cito miscentur, de illis dici non possunt, quae  
de fluidis, grauitate specifica diuersis (§. 16. & 17.) dixi-  
mus, nisi guttula satis magna, simul atque semel in flui-  
dum, haud adeo grauitate specifica diuersum, deferatur,  
tunc enim, tametsi extremae partes vtriusque fluidi misce-  
antur, tota tamen earundem moles, exiguo temporis spatio,  
mischeri nequit.

Corollaria  
ex §. 15. 16.  
17. 18. 19.

§. 21. Cum ad vniōnem guttularum immediatus  
partium contactus requiratur, (§. 18.) sequitur, vt guttula  
mercurii cum alia mercurii guttula haud vniatur, si vel vna  
tantum, vel ambae corpore specificē leuiore v. g. aqua sor-  
dibus &c. cinctae sunt: (sordes vero mercurio adhaerere  
facillime & cito, tam experientia, quam ratio, (§. 11. &  
24.) data, suadent) sordes enim impediunt non solum  
particularum mercurialium contactum immediatum, sed  
nec ipsae inter se sensibiliter cohaerent, tam quia sese, tan-  
quam corpora leuia & aspera in paucis tantum punctis con-

Guttulae  
mercuriales  
corpore  
specificē  
leuiore cinc-  
tae non  
vniuntur.

tingunt, quam quod maiori vi mercurio, quam si bi inuicem adhaereant, in pluribus enim punctis mercuriū tanquam minus porosum, quam sese porosas contingunt. (§. 12.)

Fluida &  
solida  
quando  
concurrunt  
easdem  
quas fluida  
in concursu  
obseruant  
leges.

§. 22. Cum causa cohaesionis corporum tam fluidorum quam solidorum sit vna eademque (§. 5. 6.) sequitur, vt fluida eundem effectum edant, in concursu cum solidis, qui ex concursu eorundem inter se oriretur, exceptis iis circumstantiis, quae non tam a vi, tanquam vi quam a fluiditate, aut soliditate pendent, v. g. miscela & figurae mutatio: corpora enim solida quaecunque, cum habeant centrum grauitatis, (§. 6.) adeoque & tendentiam siue conatum suarum partium versus istud punctum (ib.) vt etiam punctum contactus corporis fluidi & solidi sese contingentium, versus vtrumque centrum agat, necesse est. (§. 10.) Ex §o proinde 11. & 12. patet, quod actio quoque istius puncti, vel versus vtrumque corporum centrum, (§. 10.) (si nempe fluidum & solidum aequali gaudent vi) vel versus vnum tantum, (si nempe inaequali virtute praedita sunt) cessare, & minui versus alterum, adeoque ipsa corpora in se inuicem agere & cohaerere debeant.

Quoruplicē  
modo flu-  
ida cum fo-  
lidis con-  
currere  
possunt?

§. 23. Est vero corpus fluidum vel specificē leuius, vel specificē grauius corpore solido, & istud contingit hocce vel in parte sui inferiore, ita, vt corpori solido incumbat, vel a latere, vel istud ab hocce in parte suprema contingit. De specificā grauitate aequalibus nihil addere volui, quia partim vix crediderim, talia existere, (nisi quis glaciem & aquam aut metalla fusa & non fusa huc referre velit), partim vero eadem de iis valent, quae in sequentibus de specificē grauioribus dicemus, eadem enim ubiis ratio est, excepto numero punctorum contactus, id quod cuius facili patet.

§. 24.

§. 24. Incumbat igitur guttula fluidi specifice leuioris corpori solido specifice grauiori, nullus fiet conatus versus centrum guttulae ex punto contactus (§. 11. 22.) ergo guttula ea vi aget versus corpus solidum, qua punctum contactus ante contactum versus centrum eiusdem agebat, eidemque eadem vi adhaerebit (§. 11. 12.), & cum guttulae partes sint in perpetuo motu (§. 14), adeoque parum cohaereant, non solum ob dictam actionem, sed & ob grauitatem guttulae, ut noua continuo contactus puncta oriantur, necesse est, vnde guttula in parte sui inferiore figuram corporis solidi assumet, immo plane diffueret, ita, ut nullae amplius fluidi particulae sibi inuicem incumberent, sed omnes iuxta sese ponerentur, nisi aér, aut aliud corpus, specifice leuius in parte opposita superiore guttulam contingens, tantam quoque guttulae, versus se, excitaret actionem, quantam ipse aér, sua vi, non grauitate, in guttulam specifice grauiorem exercet (§. 11.) qua actio guttulae, versus corpus solidum, imminuitur: quo magis tamen corpus solidum istud corpus specifice leuius, ex parte opposita guttulam contingens, grauitate specifica excedit, eo magis guttula versus specifice grauius aget, & eo magis caeteris paribus adplanabitur. Hanc adplanationem cum simul pondus guttulae iuuet, ut maiorem guttulam magis quoque quam minorem diffluere, & rotunditatem suam amittere videamus necesse est.

§. 25. Aquae guttula, corpori fere cuicunque imposita, veritatem huius theseos abunde demonstrat. Ne vero quis eo praeiudicio, quod nempe eorum corporum particulae sint quoque specifice leuiores corpore fluido, quorum moles fluido, tanquam specifice leuior, innatat,

vti lignum aquae, inductus, nobis errorem tribuat, nostramque thesin, quod, ad haecce phaenomena producenda, fluidum specifice leuius solido, requiratur, destruere conetur, eo experimento, quod aquae guttula, ligno imposita, diffluat, cum tamen lignum, experientia teste, aquae innatet, & consequenter eadem sit specifice leuius: Sciendum, quod integra ligni quantitas non constet ex meris particulis ligneis, sed infinitam pororum seriem simul includat. Horum pororum concursu, integra molles ligni, specifice quidem leuior est aqua, sed hinc non sequitur, vt singulae particulae eiusdem sint conditionis; Lignum enim rasum, vel etiam non rasum, si aqua impregnatur, subsidere in aqua, experientia testatur, vnde tuto concludere licet, quod lignum, aqua impregnatum, aqua sit specifice grauius; iam, cum aqua aqua non sit specifice grauior, nec huius additione ullum corpus aqua specifice grauius reddi poterit, lignum igitur, cum, solius aquae additione, in aqua tanquam specifice grauius subsideat, sequitur, vt in particulis ligneis haereat causa grauitatis specificae maioris. Cum igitur guttulae aquae diffuant, si partes corporis specifice grauioris, non si poros eiusdem contingunt, (§. 24.) particulae vero ligneae sint specifice grauiores, (per demonstrata) sequitur, vt guttulae aquae ligno impositae diffuant. Immo si vel maxime ex alio fonte demonstrari haud potuisset, lignum aqua esse specifice grauius, haec tamen veritas, ex iis, quae (§. 24.) non ex inductione paucorum eorumque fallacium experimentorum deducta, sed ex indubiiis principiis demonstrata sunt, tanquam corollarium concludi posset atque deberet: Generalis nempe regula haec est, cuicunque solido fluidum adhaeret, istud fluido est specifice grauius, vel saltum grauitate specifica aequale.

§. 26.

§. 26. Quae de aqua & ligno diximus (§. 25.) valent etiam de mercurio & metallis, tametsi enim omnia, excepto auro in mercurio natitent, plumbum tamen & argentum (circa reliqua enim experimenta non institui) a mercurio soluta, in eodem subsident; Hinc omnium metallorum, in quorum superficie mercurius diffuit, maior vel saltim aequalis est grauitas specifica, grauitate specifica mercurii (§. 24. 25.)

§. 27. Guttula fluidi specifice grauior, si incumbit solidi specifici leuiori, premit corpus solidum vi ponderis sui; ob id ipsum vero, quia est specifice grauior, eius particulae, in punctis contactus constitutae, non maiori nisu versus corpus solidum tendent, quam huius partes versus guttulam agere possunt (§. 11. 19. 22.): Hae vero, cum, propter firmorem cum toto connexionem, & totius massae pondus, ascendere versus guttulam nequeant, nec solidum in pluribus punctis guttulam contingere poterit, quam ipsum a guttula, vi tantum ponderis sui versus solidum a gente, contingitur. Guttulae igitur pondus si exiguum est, immo minus ea vi particularum, quam versus centrum guttulae exercent, (haec enim determinata est, pondus vero indeterminate augeri vel minui potest) inferiores conatus versus vehementius agent, quam omnes pondere deorsum, hinc, cum, ob sphaericam guttulae figuram (§. 16.) primus contactus in paucissimis fiat punctis, in paucissimis quoque tantum aequilibrium particularum guttulae tollitur, (§. 18. 11. 22.), idque tanto minus, quo minor est vis particularum solidi (ibid. & §. 4.). Hoc aequilibrio sublatto, sequitur quidem aliqualis actio partium guttulae superiorum, cum vero a paucissimis tantum, punctis contactus oppositis, fiat (§. 18. 19. 22.), nec haec omni sua vi, sed ea

Mercurius  
quibus-  
dam mihi.  
mum me-  
tallis est  
specifice  
leuior,

Guttula,  
corpori so-  
lido speci-  
fice leuiori  
imposita,  
non dif-  
fluit.

tan-

tantum, qua vis corporis solidioris vim aeris excedit, (§. 11. 24.) operentur, impossibile erit, vt vel tot saltim particulae, quot primi contactus puncta, multo minus vt totum inferius guttulae hemisphaerium, versus corpus solidum descendat, non enim solum plures, sed singulæ quoque propria vi (§. 16.), adeoque maiore, ea qua superiores descendere conantur, (per modo dicta) reagunt sursum, versus proprium centrum, & sic pressioni deorsum resistunt, vnde nostra guttula rotunditatem suam seruabit, adeoque in paucissimis punctis corpus solidum tanget, vt sic facillime ab eodem separari possit. Quod si vero maior fluidi quantitas adest, ita, vt pondus totius quantitatis maius sit, quam nisus, mediante quo particulae inter se cohaerent, tunc superiores grauitate sua inferiores magis deorsum versus corpus solidum prement, &, vt in superficie solidi diffluant, cogent, eosque, donec tot saltim particulae fluidi sibi incumbunt, quarum pondus minus est vi, qua cohaerent, aut sursum versus tendunt.

Phaenome-  
na mer-  
curii, quando  
cum cor-  
poribus  
specifice  
leuioribus  
concurrit.

§. 28. Mercurii igitur guttula, tanquam specifice grauior ligno vel lapidibus, hisce imposita, non mutat sensibiliter figuram sphaericam, magis tamen, si, ex corporibus specifice leuioribus, quorum vero vnum est altero specificè grauius, specifice grauiori quam si leuiori incumbit. (§. 27.) Vnde paradoxum illud, quod insignis mercurii quantitas, in linteamine, corio, charta &c. tanquam corporibus summe porosis, sustineri possit, ita vt ne guttula quidem transeat, cum tamen omnes reliqui liquores subito transudent, solui poterit: nam cum linteamina, coria, &c. tanquam corpora solida penetrare mercurium nequeant, nec mercurius sua vi, excepto pondere, magis versus ea, quam haec versus mercurium, agat (§. 11.12.22.) hic infra

infra contactus punctum particularum suarum vi non descendet, adeoque partes linteaminis &c. obstacula tantum erunt, quibus particulae mercurii inferiores suffulsa, pressioni molis, in particulas, quae poris superincumbunt, sufficienter resistere possunt, eousque nempe, donec columnae mercurii, poro superincubentis, pondus maius est vi, qua particulae cohaerent: cum contra aquae aliorumque fluidorum particulae, non pondere quantitatis solum, sed & proprio particularum nisu, versus partes linteaminis, tanquam specifice grauiores, ferantur. (§. 22. 24.) Hoc duplii motu, cum in poris nulla fiat resistentia, ulterius descendunt particulae, donec extra linteamen vel chartam ferantur, a quibus tandem mole & pondere, per subsequentes, auctae, decidunt.

§. 29. Guttula aquae ligno imposita diffuit, (§. 24. 25.) & ob plura hinc orta contactus puncta firmius eidem adhaeret, (§. 12.) ita ut difficulter ab eodem separari queat; mercurii vero guttula ligno parum adhaeret: (§. 27. 28.) duae igitur guttulae mercurii libere in se inuicem agere possunt, cum guttulae aquae sub iisdem circumstantiis impedianter. Immo cum insuper particulae mercurii experientia teste, maiore vi gaudeant, quam particulae aquae, non potest non fieri, ut guttulae mercurii vniuantur maiore vi & celerius, quam guttulae aquae (§. 15. 8. 4.), id quod etiam experientia confirmat.

§. 30. Cum omne corpus quiescens sit in aequilibrio (§. 3.) etiam fluidi quantitas quaecunque quiescens in aequilibrio esse debet. Sublato igitur aequilibrio, cognatus, immo, si vires, ab aequilibrio subtractae, minimum aequales sunt viribus cohaesionis particularum, motus versus eum locum exercebitur, ubi minor est resistentia (§. 3.). Quod si ergo fluidum contin-

Guttulae  
mercurii  
celerius  
quam aquæ  
vniuntur.

Particulae  
fluidi ver-  
sus corpus  
specifice  
grauius a-  
scendunt,  
& cum eo-  
dem coha-  
rent.

gitur vel in parte suprema, vel a latere, a corpore specifice grauiore, vel etiam a corpore eiusdem grauitatis specificae v. g. **A** fluido homogeneo, particulae fluidi solidum contingentes, ita versus centrum grauitatis solidi agent, ut omnis earum actio versus fluidum sublata sit. (§. 19.2 2.2 3.) **A**equilibrium igitur quoque in punctis contactus sublatum erit, hinc, cum particulae supponantur homogeneae, & ob id ipsum cessatio actionis harum particularum aequalis sit actioni earundem in reliquas homogeneas ante contactum, motus fieri debet versus solidum, (§. 3.) eousque, donec pondus partium, quae ultra priorem fluidi superficiem hoc motu ascenderunt, aequale sit vi, qua inter se cohaerent. **V**is, qua particulae, corpus solidum immediate contingentes, huic adhaerent, variat pro diuersa grauitate specifica corporis solidi contingentis; nam, quo specificie corpora sunt graviora, eo quoque sunt compactiora (§. 15.) & eo plura consequenter contactus puncta fluido exhibent, particulae igitur fluidi non solum firmius cum solido specificie grauiore, quam inter se cohaerere debent (§. 12. 14.) sed & firmius cum solido, quod maiori quam quod minori gradu grauitate specifica fluidum superat (§. 12.): Immo, cum plura contactus puncta aequilibrium magis sensibiliter, quam pauciora, tollant, & iste motus partium fluidarum, qui separationem aliqualem quarundam a toto simul inuoluit, ab earum cohaesione aliquo modo impediatur, ut hoc impedimentum, (quod pro quantitate partium decrescit potius quam accrescit,) a pluribus contactus punctis magis quoque superetur, & consequenter ascensus fluidi celerior fiat versus corpus solidum, quod maiore, quam versus istud, quod minore grauitate specifica praeditum est, necesse erit.

§. 31. Sit ergo baculus v.g. ligneus, haud adeo Qualia sint  
 acutus, & aquae stagnantis superficiem superiorem, aut ba- phaenome-  
 culus ferreus, argenteus, aureus, & mercurii superficiem na, si con-  
 leuiter attingat, vt aequilibrium cesseret (§. 30.), & particu- tactus sit in  
 lae subiacentes & adiacentes haud amplius premantur, parte fluidi  
 vti antea, adeoque hae versus eum locum agere debeant, supra-  
 vbi minor est resistentia (§. 3.) i.e. versus corpus solidum  
 specifice grauius (§. 11. 12.) necesse est. Cumque solo  
 contactu leuissimo, (per hypoth.) superficies fluidi non  
 mutetur, & leuis partium cohaesio minor sit actione ex  
 aequilibrio sublato orta, (duplex enim vis particularum, in  
 puncto contactus positarum, pondus nempe & tendentia  
 versus centrum fluidi iam cessant, ergo & actio huic du-  
 plici vi aequalis, quippe ex huius cessatione orta, maior  
 erit simplici vi, qua particulae cohaerent) non potest  
 non, hac actione versus superficiem, superficies mutari, flu-  
 dum circa puncta contactus ultra superficiem horizontalem  
 ascendere, & quasi versus corpus contingens assilire. Hae  
 particulae, quae ultra superficiem horizontalem, sive eam,  
 quam fluidum ante contactum obtinebat, ascendere, haud  
 ex alia ratione suspensae permanent, quam quia inter se, &  
 supremae cum solido cohaerent: (§. 14. 30.) quam primum  
 igitur pondus particularum suspensarum (paucae enim so-  
 lidum corpus immediate contingunt) aequale euadit vi  
 cohaesionis particularum inter se, tunc cessat ascensus.  
 Quodsi iam corpus solidum remouetur a fluido, particulae  
 huius, istud immediate contingentes, sequentur solidum,  
 magis enim cum eodem, quam cum fluido, cohaerent,  
 (§. 30.) reliquae vero, cum suspensae, & sic in aequilibrio  
 constitutae sint, aequaliter iam sursum atque deorsum ten-

C 2 dentes,

dentes, motu facto, versus utramque quidem plagam mouebuntur, ita ut particulae suspensae expandantur magis magisque, quia vero plures semper particulae cum fluido inferiore, quam cum corpore solido, cohaerent, ratione & experientia teste, facilius ab hoc, quam isto, separabuntur, vnde pleraeque versus fluidum descendunt. (§. 12.) Sed aliter longe se res habet, si guttula quaedam aquae ad latera corporis solidioris descendit, & dein huic ita adhaeret, ut in partibus, in quibus guttula solidum non contingit, non nisi a corporibus specifice leuioribus v. g. ære tangatur, tunc enim haud prius separabitur a solido, donec pondus eiusdem maius evaserit, vi, qua particulae fluidi vel inter se vel cum solido cohaerent: vnde sponte fluit, quod, quo plures particulae corpus solidum contingunt, eo maior quoque sit guttula, quae eidem adhaerere potest (§. 12.) Maior ergo, caeteris paribus, adhaerebit guttula corpori specifice grauiori, quam leuiori (§. 30.)

Qualia sunt  
phaenome-  
na, si flu-  
idum a late-  
re contin-  
gitur a so-  
lido speci-  
fice gra-  
uiore?

§. 32. Cum actioni versus corpus solidum, quando hocce a latere contingit corpus fluidum specifice leuius, grauitas corporis fluidi, si non minus, saltim nec magis resistat, quam eae, quae secundum perpendiculum sursum dirigitur, reliquaque omnia concordent, sequitur, ut fluidum quocunque in vase quocunque specifice grauiore contentum, ad parietes vasis, ultra superficiem medium horizontalem ascendere debeat, (§. 31.) & sic vel totam suam superficiem superiorem, in vase nempe paulo angustiore, vel circa marginem saltim in vase capaciore, concauam reddat. Talem superficiem obtinent aqua, olea, spiritus vini, spiritus acidi omnes in omnibus fere vasis, mercurius vero tantum in metallicis. Ob eandem rationem omnes liquores specifice leuiores, ex vasis specifice grauioribus effusi,

fusi, ad eiusdem vasis latera descendere videmus, nisi paries vasis inferior, minimum situm horizonti parallelum obtineat: id quod experientia confirmat, quando mercurium ex vase metallico non sordido, reliquos vero modo laudatos liquores, ex quocunque ferme vase effundimus.

§. 33. Superficiem asperam alicuius corporis solidi maiorem esse, superficie polita eiusdem corporis, ex definitione lineae rectae & curvae patet; plures igitur particulae corporis fluidi specificē leuioris, contingent corpus solidum specificē grauius & sensibiliter asperum, quam idem politum, ergo & firmius, ut & maiore quantitate idem fluidum adhaerebit eidem corpori aspero, quam polito. (§. 12. 31.) Cum vero facile obtineri possit, ut superficies aspera corporis specificē leuioris plura contactus puncta exhibeat, quam superficies laevis corporis densioris, haud putandum, quod experientia contradicat iis, quae (§. 31.) in fine diximus, si, maiorem aquae guttulam, ligno aspero, tanquam specificē leuiori, quam ferro polito, tanquam specificē grauiori, adhaerere videmus.

§. 34. Quod si igitur corpus, quod fluidi superficiem superiorem contingit, praeter grauitatem specificam maiorem, insignem simul maiorum pororum quantitatem obtinet, fluidum versus istud ascendere & assilire debet. (§. 30. 31.) Cumque idem corpus, ob pororum quantitatē, huic motui non solum parum resistat, sed & tanquam corpus asperum, plura contactus puncta exhibeat (§. 33.) immo celeriorem fluidi ascensum excitet (§. 30.), necessario, hoc nouo contactu, adscensus causa, & sic ipse adscensus, de nouo semper debet excitari, praesertim, cum particulae corporis solidi, etiam alio modo, multum conferant. Hae enim eas fluidi partes, quae iam ascendere,

Maior interdum guttula adhaeret corpori specificē grauiori, quam leuiori.

sustentant, ne pondere suo vltiorem superiorum adscensum impedire queant, vsque dum nimia quantitas pondere sensibili, ascensi obicem ponat (§. 31.)

**Exempla  
specialia.**

§. 35. Inter corpora solida porosa, & aqua, aut aliis fluidis, excepto mercurio, specific grauiora, referri debent, saccharum, pannus, linteamina, spongia, vasa vitrea angustiora capillaria dicta, charta emporetica, & pulueres isti, quibus vtuntur ad guttulas atramenti in charta sicandas, item argilla sicca & alia, quibus maculas ex vestimentis separare solent. Soliditatem enim tactus, grauitatem vero specificam descensus horum corporum in fluidis, minimum si iisdem prius impregnantur, probant (§. 25). Singula igitur haecce corpora non solum fluida intrare, sed & in iisdem ascendere debere, ex §. 34. abunde patet, haud ergo in speciali horum phaenomenorum explicacione vltius morabimur; de vasis tamen capillaribus pauca afferre, haud superfluum videtur.

Superficies  
interna ca-  
nalis mi-  
noris ma-  
ior relatiue  
est super-  
ficie canalis  
maioris.

§. 36. In antecessum hic monendum erit, quod superficies corporis minoris, maior sit respectiue, superficie corporis maioris. Frangatur enim corpus maius in duas partes, hac fractione nihil de priore superficie decedere patet, cum vero quaelibet pars praeter eam superficiem, quam antea obtinebat, acquirat nouam superficiem in eo loco, in quo antea cum altera parte cohaerebat, summa superficierum harum partium maior erit superficie totius; quaelibet igitur pars, tanquam corpus minus, post diuisiōnem, maiorem, quam ante eandem, obtinet superficiem, & sic relatiue maiorem quoque habet, quam corpus integrum. Cum igitur superficies interior cylindri excauati haberi queat pro superficie externa cylindri solidi eiusdem diametri, & itidem cylindrus minor, pro parte maioris, sequitur,

quitur, ut superficies interna canalis angustioris, maior relatiue sit, & sic plura puncta contactus exhibeat, quam superficies interna canalis capacioris.

§. 37. Contingat igitur canalis vitreus, vtrinque apertus, superficie sua inferiore, fluidi specifice leuioris superficiem superiorem, ut fluidum versus huncce ascendat (§. 30.), &, cum cuitas adsit, hanc quoque intret (§. 34.) necesse est. Cumque ibi fluidum de nouo partes vitri specificē grauiores contingat, actio haecce sursum versus eosque augebitur, donec pondus fluidi, in canali, supra superficiem horizontalem fluidi, suspensi, aequale sit vi, qua particulae solidum contingent, vel cum hoc vel particulae fluidi reliquae inter se cohaerent (§. 30. 32.) (minori nempe ex hisce) & tunc eadem haec vis in aequilibrio erit cum pondere totius quantitatis fluidi in canali sustentati, adeoque haec quantitas nullam, a pondere vasis, peculiari nisu, distinctam grauitatem exercebit (§. 3.). Quodsi maius est pondus, quam dicta vis cohaesionis particularum, (id quod fit, si canalis vitreus cito ex fluido extrahitur, maior enim sic columna fluidi extra superficiem fluidi ponitur, quam antea) tunc ad modo dictum aequilibrium vsque quantitas fluidi in canali contenta descendere rursus debet.

§. 38. Cum canalis angustior plura relatiue contactus puncta exhibeat, quam is, cuius diameter maior est, (§. 36.) corpora vero, quae in pluribus partibus sese contingunt, fortius cohaereant, quam ea, quae paucis contactus punctis iunguntur, (§. 12.) & praeterea quaelibet particula fluidi corpori solido connexa tantam quantitatem particularum homogenearum suspensam tenere possit, quanta requiritur, ut pondus earundem aequale sit vi, qua inter se cohaerent: (§. 30.) sequitur, ut plures quoque relatiue partes

Fluidum  
specifice  
leuius in  
canali vi-  
treo ultra  
superficiem  
horizonta-  
lem ascen-  
dit.

In canali  
angustiore  
maior est  
fluidi alti-  
tudo, quam  
in capacio-  
re.

res requirantur, quae pondere suo agant contra adhaesio-  
nem particularum, si eadem cessare debet, in canali angu-  
stiore, quam capaciore. Maior haecce particularum quanti-  
tas, cum secundum longitudinem & latitudinem sese ex-  
pandere haud possit, ut in canali capaciore, non sane mirum,  
quod canalem magis secundum altitudinem replet, (per  
princip. Geometr.) & sic quoque sustineatur. (§. 38.)

Minus fa-  
cile fluida  
in angustis-  
simis cana-  
libus ascen-  
dunt.

§. 39. Tametsi vero altior longe fluidi sit columnna,  
quae in canali angustiore sustineri potest, quam quae capa-  
ciorem occupauit, idem tamen fluidum, facilius, ob ean-  
dem rationem, hunc quam istum, immo, si diameter ca-  
nalis tertia lineae parte minor est, angustiorem plane non  
intrare, multo minus in eodem ascendere debet, nisi for-  
tior impulsus ab extra accedat, tunc enim, cum, ob angu-  
stiam canalis, vix aliae particulae intrare queant, quam eae,  
quae parietes canalis internas immediate tangunt, primae  
statim, quae ascendere deberent, firmius dictis parietibus,  
quam homogeneis particulis, adhaerebunt (§. 30.) vnde  
maiores resistentiam reliquis ascendere conantibus exhi-  
bere poterunt, quam ea est actio, quae ex earundem ad-  
haerentium particularum nisu versus centrum fluidi, &  
hinc pendente aequilibrio, sublatis, oritur, (§. 30.) nisi enim  
hae ascendunt, cum vel nullae vel paucissimae aliae intra-  
re queant, (ob angustiam canalis) aliae subsequi non pos-  
sunt. Adscensum tamen fieri videmus, si canalis ab intra-  
eodem liquore humectatus est, tunc enim eae particulae,  
quae humectarunt canalem, non solum magis, quam cana-  
lis partes, prominent, sed etiam, ob grauitatem, superiores  
descendunt semper, vnde fluidi partes, quae antea cana-  
lem occludebant, a descendantibus continguntur, & hoc  
contactu in parte superiore, ubi plane nihil resistit, ad ad-  
scen-

scensum excitantur, (§. 30. 31.) minime tamen ad eam altitudinem assurgit fluidum, in qua sustineri posset, si alio modo ad eam altitudinem promotum esset, ratio enim ad scensus, modo allata, cessat, impedimenta vero manent.

§. 40. Adparent haecce phaenomena (§. 37. 38. 39.) si canales vitrei, maioris & minoris diametri, vtrinque aperti, spiritui vini, aquae, oleo oliuarum, spiritui salis, oleo tartari per deliquium &c. aut aliis liquoribus specifice vitro leuioribus immerguntur, itemque, si canalis aureus, vel argenteus, vel plumbeus, bene tamen politus atque purgatus, mercurio bene a sordibus purgato, intruditur. Cum vero canales metallici haud sint perspicui, in uno latere fissuram habere debent. Purgatio tam mercurii, quam canalium, requiritur, quia hisce, tanquam grauisimis in nostra terra, omnia leuiora, adeoque & vapores, quam citissime, & in maxima copia, adhaerere debent (§. 24.), id quod mercurius a posteriore omnium optime probat, hic enim, quantumvis purgatus, in loco aperto, intra breve temporis spatium, crusta obducitur: Sordes vero specifice leuiores mercurio, si extremitates tam canalis, quam mercurii, cingunt, immediatum particularum mercurii, cum corpore solido specifice grauiore, contactum impediunt, adeoque nulla adhaesio (§. 21.) multo minus adscensio (§. 30.) fieri potest: cumque metallum asperum a sordibus purgari commode nequeat, politi debent esse canales, praecipue, si sunt cuprei aut ferrei, qui parum grauitate specifica, adeoque & densitate, (§. 15. 30.) mercurium excedunt quibus de causis etiam raro experimenta succedunt.

§. 41. Specialiora de vasis capillaribus, alio tempore, si Deus vires concederit, proferam. Non possum

Phaeno-  
mena spe-  
cialia, &  
speciales  
circum-  
stantiae.

Quare iam  
de refrac-  
tione ra-  
diorum a-  
gatur?

tamen non, quin pauca de transitu radiorum per corpora pellucida, tanquam de fluido in canali specifice grauiore, dicam. Ex hactenus enim datis principiis refractio radiorum, certitudine mathematica, demonstrari potest, cum huic usque misera haecce doctrina, sub Physicorum hypothesibus, petitionem principii & contradictionem inuoluentibus, anxie sudauerit. Sequens vero huic demonstrationi praemittendum erit theorema.

*Qualis sit  
motus cor-  
poris ex  
duabus im-  
pressioni-  
bus ortus?*

Fig. 4.

§. 42. Corpus quocunque A in duobus punctis B. & D, a duabus viribus, uno momento ita percussum, ut punctum C, dato tempore, ab impulsu, quem in punto D. sustinuit, lineam CE, &, ab impulsu in punto B. facta, eodem tempore lineam CF. percurrere deberet, neutrā harum linearum, sed diagonalem CG, parallelogrammi, ex datis lineis CE, CF, & angulo ECF, construendi, eodem dato tempore percurret. Demonstrationem huius theorematis dabit

*Demon-  
stratio dati  
theorema-  
tis,*

§. 43. Cum nulla vis determinata sine quadam directione concipi queat, sequitur, vt, si directio vnius vis, non sit e diametro opposita directioni alterius, neutra alteram impedire possit. Ergo punctum C. corporis A, tam lineam CE. quam CF. a datis impulsibus eodem tempore percurrere, adeoque uno eodemque momento in punto E. & F. esse deberet, hoc vero cum sit absurdum, aliam describet viam, qua, a linea CF. (in qua centrum C. moueretur, si vnicum impulsū in punto B. sustinuisse) tantum sinistrorsum commoueri possit, quantum punctum E. a linea CF. distat, & eodem tamen tempore tantum descendere queat deorsum a linea CE. (in qua punctum C. moueretur, si vnicē in punto D. ictū sustinuisse) quantum punctum F. a linea CE. distat. In fine igitur motus punctum C. erit in pun-

cto

etio G, quia hoc tantum distat a linea CF, quantum punctum E. ab eadem linea, & tantum a linea CE, quantum punctum F. ab eadem CE. (vi definitionis parallelogrammi.) Eodem modo demonstrari potest, quod idem punctum C, dimidio temporis spatio, in eo diagonalis CG. punto esse debeat, quod diagonalem in duas partes secat aequales, itemque quod millesimo dati temporis spatio, punctum C, in eo diagonalis punto versari debeat, in quo millesima diagonalis pars ab eadem separatur, &c. Ergo toto tempore, punctum C, in tota diagonali CG, versabitur, id est, motu suo eandem describet. Q. E. D.

§. 44. Incidat igitur series particularum ignearum, radium constituens, oblique, secundum lineam  $a b$ , in superficiem FD. corporis pellucidi densioris, quam istud est, per quod radius  $a b$  incedit, ut primum contactus punctum sit in  $e$ , necesse est. Iam cum quaelibet particula radii habeat suam vim, (§. 2.) & sit specifice leuior corpore FDLM, (experientia teste,) eadem particula nisum maiorem exercebit versus punctum  $e$ , quam versus punctum  $n$ . (§. 22.24.) Duplicem igitur punctum  $c$  habet directionem, alteram versus punctum H, alteram versus punctum G, ergo motu suo lineam  $c k$  describere (§. 42.), hoc est, cum idem valeat de omnibus particulis, radius  $a b$  frangi debet ad perpendiculum  $c H$ . Q. E. D.

§. 45. Simili modo demonstratur, radium  $c k$ , quando ex medio densiore FDLM, in minus densum transit, frangi debere a perpendiculo  $k P$ , versus Q. quantus vero sit angulus fractionis, a priori demonstrari haud potest, cum nec linea  $c G$ . nec  $c H$ . a priori determinari possint. Rationem tamen harum linearum a posteriori dari posse

Radius  
frangitur  
ad perpen-  
diculum.

Fig. 52

D 2

Radius  
frangitus  
a perpendi-  
culo.

spero,

spero, si angulus refractionis radiorum homogeneorum accurate per obseruationes determinaretur.

Occasio &  
vſus huius  
theorieſ.

§. 46. Hac methodo omnia phaenomena, quae in Newtoni Optica continentur, physice demonstrari poterunt. Ut vero pateat, refractionem non radiis tantum, sed omnibus fluidis conuenire, occasionem narrabo, quae huius phaenomeni indagationi ansam praebuit. Epistomium vasis, ex quo manus lauare soleo, inclinat versus horizontem, & ea superficies, in qua perforatum est, cum pariete epistomii superiore angulum acutum, cum inferiore vero angulum obtusum includit; manus igitur cum aliquando lauarem, & simul de refractione radiorum cogitarem, obseruaui, aquam, cum paululum saltim apertum esset epistomium, & sic aqua guttatum saltim prodiret, perpendiculariter descendere, quam primum vero successive magis recludebam epistomium, successive quoque aquam profluentem magis magisque a perpendiculari sursum versus dirigi, adeo, ut linea, quam aqua immediate ex epistomio profluens motu suo describebat, maiorem cum perpendiculari angulum includeret, quam ipsum epistomium. Maior longe haec est refractio, si aqua per canalem valde tenuem, sed oblique in fine sectum, vi quadam pellitur, unde patet, quod refractio non sit affectio radiis tantum propria, sed omnibus fluidis communis, cuius vſus in hydraulicis insignis esse potest.

Actio flu-  
idorum spe-  
cifice gra-  
uiorum in  
folida.

§. 47. Restat iam vnicē, ut ostendam, qualis sit actio corporis fluidi specifice grauioris, in solidū specifice leuius, quod fluidum vel a latere, vel in superiore huius superficie contingit. Admoueatur igitur lignum mercurio, aut quodecumque sensibiliter specifice leuius solidum, fluidi cuiusdam superficiei superiori, ut versus fluidum conatu, a graui-

grauitate diuerso (haec enim per manum admouentis sublata est) agat, necesse est. (§. 11. 22.) Cum igitur fluidum sit specifice grauius, (per hypoth.) haud magis reagere poterit, quam solidum in fluidum agit, (§. 11. 22.) ergo punctum contactus, post modo dictum aequilibrium, versus centrum fluidi, minime vero versus centrum grauitatis solidi, conatum suum, tametsi paululum imminutum, continuabit (§. 11. 15.) cohaerebunt igitur quidem (§. 11.) sed fluidum versus solidum non ascendet, ad adscensum enim fluidi versus contingens solidum requiritur, ut omnis actio particularum fluidi, in punto contactus constitutarum, versus fluidum, & sic aequilibrium quoque sensibili-  
ter sublatum sit; (§. 31.) hinc, si solidum a fluido separari debet, tantillo saltim maior vis requiritur, quam ea est, qua cohaerent, ergo & haec minor erit vi, qua particulae fluidi, solidum contingentes, versus centrum fluidi agunt, vnde nec hac vi particula quaedam a fluido separari poterit, aut fluidum solido semoto sequetur. Mercurius igitur in vase capillari vitreo, non solum haud ultra superficiem horizontalem, (§. 3.) sed ne quidem ad eam usque, ascendet; nam cum vitrum sit asperum, prominentiis suis impedit adscensum particularum mercurii, inaequalitates vitri attingentium, quod si igitur cohaesio particularum mercurialium, in canalis orificio constitutarum, inter se, maior est pressione, quam circumfluus mercurius pondere suo in hasce exercet, pressioni non cedent, & consequenter canalem non intrabunt; quodsi vero pressio cum pondere augetur, ascendent quidem in canali, semper tamen dupli-  
ci vi resistent pressioni huic sursum versus fluidi exterioris, pondere nempe & resistentia particularum prominentium vitri: cum igitur, secundum leges aequilibrii

fluidorum, quaelibet fluidi columna a circumstantibus ideo saltim ad aequalem altitudinem euehatur, quia ista hisce non nisi pondere resistere potest, in nostro vero casu mercurius non pondere tantum, sed & asperitate particularum vitri, pressioni resistat, sequitur, vt idem effectus, aequalis nempe mercurii in canali cum circumfluo altitudo, obtineri nequeat. Quo maior ergo est resistentia, quae ab asperitate vitri pendet, eo minor erit altitudo mercurii in canali vitreo, atqui cylindrus, quo est angustior, eo maiorem respectiue habet superficiem, (§. 36.) & eo maiorem quoque dat resistentiam, ergo eo minor quoque in eodem erit mercurii altitudo, immo si nimis est angustus, plane non intrabit mercurius.

Ratio superficie conuexae mercurii in vase specificie leuiori.

§. 48. Eadem ex parte ratio est eius phaenomeni, quod mercurius in vasis vitreis vel ligneis contentus, maiorem semper in medio vasis, quam ad parietes eiusdem, obtineat altitudinem. Tametsi primaria huius phaenomeni ratio in eo consistat, quod, cum mercurius, tanquam fluidum specificie grauius, maiore vi versus suum feratur centrum, quam versus parietes vasis, (§. 47.) ab his, si nihil obstat, secedere debeat, versus proprium centrum; hoc vero cum fieri nequeat, nisi partes reliquae mercuriales, ibi iam dum existentes, sursum versus cedant, (vnde pondere suo huic actioni resistunt) eo vsque saltem a parietibus secedere continuabit, donec pondus partium, hoc conatu, in altum sublatarum, huic conatu a parietibus vasis secedendi, aequale euaserit, vnde mercurius, in omnibus vasis specificie leuioribus, superficiem minimum circa parietes conuexam obtinere debet.

Experi-  
mentum  
circa 50.

§. 49. Cum §o 6. & 12. dictum sit, dato puncto contactus dari cohaesionem etiam solidorum corporum; expe-

experimento duorum marmorum politorum hancce thesin confirmare audeo. Sunt mihi duo marmora polita cylindrica, diameter superficie in qua se contingunt est 25 linearum, iungo eadem mediante seu calido, & sic rite coaptata sustinent 450. libras per  $\frac{1}{12}$  horae. Cum ante aliquot menses experimentum hocce instituerem, marmori inferiori adhaesit particula superioris, post rupturam. Omnes, quos scio, Physici, grauitatem & hinc pendentem pressionem aëris, pro causa huius phaenomeni allegarunt, sed, calculo instituto, reperi, quod cylinder aëreus, cuius diameter baseos aequalis est 25. lineis, pondere suo aequalis tantum sit, 47. libris, reliqua igitur cohaesio, qua marmora 400. insuper libris ferendis paria reperiuntur, ab alia causa pendere debet. Sine praeparatione mediante seu experimentum non succedere, experientia testatur, seu um vero nihil conferre posse, nisi quod inaequalitates, quæ, laeuigatis lapidibus, adhuc supersunt, fluiditate sua expleat, & sic immediatum partium contactum in plurimis punctis promoueat, fana ratio credere iubet: in quo pluribus vero punctis corpora sese contingunt, eo fortius eadem cohaerere §o 12. demonstratum est, ergo haud mirum, quod haec marmora tanta vi cohaereant, cum cylindri vitrei istud haud possint. (§. 4.) Rumpit tamen debent in eo loco, vbi, mediante seu, iunguntur, seu enim partes debiliores esse experientia testatur, non solum igitur inter se, sed etiam lapides, vbi seu mediante iunguntur, tantum cohaerere haud possunt, quantum cohaererent, si totidem particulae marmoreae sese contingenterent. (§. 4.) Potuit interim fieri, vt pars ab uno horum marmorum separaretur, quae, mediante seu, alteri adhuc adhaerebat, nam, cum marmora sint corpora satis heterogenea, (experientia teste)

haesione  
corporum  
solidio-  
rum.

teste) facile potuit fieri, vt partes solidiores, adeoque etiam plures (§. 30.) diuersorum marmorum, sese, mediante pauco seuo, contingenter, & sic fortius cohaererent (§. 4. 6.) quam aliae partes minoris vis, in vno eodemque marmore.

§. 50. Specimine hoc ostendere volui non solum quod, sed etiam quantum valeat methodus Mathematica in Physicis. Ex Nouis quidem litterariis Lipsiensibus Germanico idiomate conscriptis perspexi, quod similia de guttulis phaenomena, in Mense Augusto des Memoires de Treouux, anni 1722. proponantur, sed cum huius libri compos fieri haud potuerim, affirmare nequeo, an eandem, an vero plane nullam Fratres Iesu horum phaenomenorum solutionem dederint. Quicquid demum sit, tanti non facio gloriam inuentionis, quanti adprobationem prudentiorum, quam si obtinuero, eo cum Deo allaborabo, vt per totam Physicam atque Medicinam huius theoriae usus pateat.

SIT DEO LAVS ATQVE GLORIA!

